




V
B J
C

Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM

Liber XI & XII.

ELBINGÆ
Typis BODENHAVSIANIS
Anno MDC. XLII.

Ad Lectorem.

VIvimus: at vacuas cœlo non reddimus auras.
Fœnerat has nobis Rex Genitorq́; deûm.
Præſes ab hoc Vatum deſcendit origine verâ.
Perſonat in menſâ proximus ille Iovi.
A nobis generis quid Iupiter exigat autor,
Quid mereant Vates à Iove, Lector habes.

MAGNIFICO & NOBILISSIMO DOMINO ISRAELI HOPPIO

ProCos. Elbing. ſextùmq; Burggrabio Regio.

Adeo religione animum non imbui, Nobiliſsime Burggrabie, ut intra decadem generis ſui manere velim, quoscumq; carminum meorum libellos edidi. Præſtitueram quidem nuper, at ſacramentum non præſtiteram. Truculentus in fœtum parens eſſem, ſi vitam his eriperem, qui non velut nothi ſed tamquam poſtthumi eam acceperant. Ac ſi divinis libris attendimus, nec non profanis auſpiciis movemur; non minor duodenario autoritas ineſt, ſanctius etiam myſterium. Sed ut rectè ſe iſta habent, ita non parùm offendor contumaci fremitu eorum; qui ſeu conſcientiâ propriæ turpitudinis efferati, ſeu leviter involatâ de aliis ſuſpicione incitati omnia ſincerè dicta in contumeliam vertunt, meumq; otium quietum eſſe non ſinunt. Quorum furfure ſegregato ex optimis farinæ illius quæro; ſi Poëtam ullum noverint ingenuum, qui in ſcenâ deridendum propinârit nondum ſui facinoris apertum? Nam de aliis, qui vitio virtutem prætexunt, hæc ratio eſt. Noxam odimus, virtutem colimus, eam poſſidenti conſulimus. Vitium enim aut Satyrâ nempe obnuptâ facie ridemus, aut Epigrammate ſub ficto nomine apertiùs tangimus: ut acie in unumquemq; directâ ſoli erubeſcant obnoxii. Idem ſibi propoſitum habent & Poëtæ, & qui de Moribus hactenus commentati ſunt: hi ut doceant, ſimplici ſermonis habitu contenti; illi, ut inter virtutum vitiorumq; exempla etiam delectent, numerum orationis amœ-

 nitatemq;

nitatemq; affectati. In crimen tela sunt, famæ parcitur; nisi ejus, qui omni pudore profligato audire & esse laborat deterrimus. Sed omissis inertibus animis, quibus in lubrico est, quicquid dixerint aut fecerint; illos viros unicè deveneror, quorum stimulis promotus arduum Heliconis clivum jam superasse mihi videor: postquam variis vitæ meæ ærumnis omniq; tædio devorato, & genio & existimationi de me sicq; meritis ipsorum etiam ludibundus satisfacio, non omnibus concessam facultatem nactus. Sed commodùm, Nobilissime Burggrabie, inter hortos Tuos, quorum delicias mecum communes esse ultro voluisti, mihi de Te cogitanti occurris. Etenim Te ipsum hoc ingenii mei fœtu, præsertim quòd magnam partem in illis coaluisset, propensâ benivolentiâ invitatus mactare decreveram. Accipe testem fidissimum mei in Te affectûs, imò hunc animum: qui post Deum immortalem carissimos sibi non alio genere cultûs, quàm hoc ipso prosecutus est utpote & sanctissimos. Dabam in hortis Tuis VIII. Calend. Maji Anno sal. n. MDC. XLII.

Magnif. Tuæ
observantiss.

Frid. Zamelius.

LIBER XI.

Ad Magnificum Nobilissimumq; Dominum Israëlem Hoppium.


I qua meam redimit Musarum tænia frontem,
Nec Patriæ Patrum non erat istud opis.
Namq; Tuus genitor, geniusq; hûic proximus, Hoppi,
Ornârunt puncto cœpta novella suo.
Tu mihi quodcumq; es, patris illud ab indole præstas:
Tu, mea quo ducam carmina, Numen ades.

Ad nemorum deos.

D*Eponit jam silva comas, frundosaq; tempe*
Et tristis Boreas & gravis urget hiems.
Vos rivi & fontes vos unda æterna siletis.
Atq; ubi nunc, dulces, vester amictus, agri?
Vos dI qui saltus, qui culta habitatis & amnes,
Evocat ad nitidos ipse Poëta Lares.

Inauguratio Ædis in Pineto V. P. M. ab Vrbe Elbingâ Africum versus distantis.

P*er gelidos inter pineta virentia calles*
Si juvat ad magni templa Tonantis iter,
Hic locus invitat: cujus de cespite nuper
Carpebat solitum bucera turba cibum.
Tityrus huc & pœta vagas Galatéa capellas
Egerat herboso stratus uterq; solo.
Atq; ubi dulce jubar Tartessus anhela videbat,
Barbigerum rediit sub sua septa pecus.
Omnis in armenti fructus malè verterat usum.
Non erat hoc, sanctè quo frueretur homo.

Nunc animi pastum sub Numinis æde requirunt
Natorum & matrum cum grege mille viri.
Sexq; decemq; ierant post dios secula partus,
Dena quater necnon altera messis erat:
Quincta Calendarum ter cùm numerata Decembris
Acta per auspicium primitiasq; precum est.
Tunc rerum Hoppiades Præses, tunc Præses agrorum
Hornius autores hanc coluêre domum.
Nec Sifertiades Collega comesq; Zamell,
Nec Megerisiadum dêerat amica manus.
Sed quis Te Helvingi Teq; Hesi transeat, aut vos
Richteros nostri Syndica corda fori?
Ante aras Superûm, Superis qui templa dicaret,
Voidius sacrum voce præibat opus.
Non ulli luxêre foci, neq; thure litatum est.
Sanctior è puro pectore manat odor.
Relligio subiit: spiraculaq; ætheris hausit
Acceptura suum fida caterva Deum.
Tum manifestus honor: psallentumq; æmula voci
Organa juverunt & tuba torta chorum.
Surgite vos pini, nemorumq; extendite frundes,
Grata viatori vestra sit umbra pio.
Crescite vos cœli dignatæ limine silvæ.
Vos inter Pietas pandit ad astra viam.
Iamq; sonant responsa Dei, quà Panes obibant,
Quà tumuli strigibus, lustra fuêre lupis.
Accipe, quisquis aras vicina novalia luco.
Subscripsit votis Curia nostra Tuis.
Inde decus silvis, & clara exordia rerum.
Asſere concessas, ô bone cultor, opes.
Cedite dI, quos prisca sibi vesania fecit.
Huic nemori regnat Rexq; Faberq; poli.

Illum

Illum orni ingentes, illum virgulta loquuntur.
Et quis eum taceat, cui modulantur aves?
Macte Patrum series: ex hoc deberis Olympo.
Exigit æternas hæc Tibi caussa cedros.
Non æquè annuerunt ullis pia Numina cœptis:
Non æquè Stygiæ rector inarsit aquæ.
Ah ne dispositos cœlo vis barbara turbet,
Verùm hinc ad Superos copia major eat!
Hoc penetrare suos optabat tramite versus,
Drusida qui patriam Thespiadasq́ colit:
Cui liquidi fontes arbustorumq́ susurri,
Et loca dant animos urbe remota novos.
Sæpius ille Tuo, Bachmanne, *docentis ab ore*
Pendebit Phœbi sub propiore jugo.
Tu prope templa Dei lucos habitabis amicos:
Tu sacer heic Præco Mystaq́ primus eris.
Quàm placidi volucrum per nota virecta canores,
Plus ubi delectat vox pia, plusq́ movet!
Ecce ruunt auræ, motantq́ cacumina pini,
Et Deus immenso Numine dexter adest.

Ad Magnificum & Nobilissimum tunc Burggrabium Reg. Dn. Christianum Treschenbergium PræCos. Elbingensem.

ACre gelu densæq́ nives clausêre paludes:
Et tacet in pigro vena salubris agro.
Nec nemore aut prato, quod seu proritet amantes,
Sive meis animum Vatibus addat, inest.
Nec quà nostra Tuis augentur Equaria curis,
Littoreus strepero verbere plaudit anas.
Vrbe quid excurras? æquarunt omnia venti,
Treschenbergiacæ *Rex columenq́ domûs.*

Dum

Dum juvat ante focum morosam abstergere curam,
Et sapit in posito nostra senecta mero;
Atq; aliquis fatuos juvenum subsannat amores,
Aut missas à se ventilat ipse nuces;
Occupat hic alios, alios trahit ille sodales.
Mecum Visnerus me penes hospes agit.
Me duce, ait, spondes, ubi Consul fortè vacabit,
Ejus inoffenso limen adire pede?
Imò ego, respondi, nisi veneris ipse molestus:
Si Te ferre potest, nec gravis umbra Tua est.
Pone Tuos olim fasces moriente Decembri,
Tu qui heic Sarmatici munia Regis obis.
Delectant humiles per Saturnalia lusus:
Et quas non implent parva sigilla manus?

Spectabili & Clarissimo viro Domino Friderico Zamelio, Cos. Elbingensi, nec non Piscaturæ Præfecto.

ACre gelu densæq; nives ac bruma, Zameli,
Et nemore & pratis abstinuisse jubent.
Non datur excursus, squamis ubi retia tendunt,
Nec piscaturis invigilare licet.
Quin juvat ante focum mœstam recreare senectam,
Pascere & infuso corpora fessa mero.
Facta patrum memorando & quæ nos fecimus ipsi,
Perq; jocos suaves fallere tempus edax.
Quare Visnero, ne sit scrutator inanis,
Dicito Zameli, quando vel anne vacet?
Ianua nostra bonis semper prout omnibus æquè
Nec minùs & vobis nocte dieq; patet.
Ergò age quando placet nostras accedite ad ædes;
Sed Mylium vobis associate rogo.
Permadet ipse sale, & miscere scit utile dulci.
Quadrigis junctus sic bene currus erit.

Ch. Tr.

Puer

Puer in glacie ſuffocatus.

IN glacie periit ſed præfocatus ab undis
Gregoripor, glacies quem prohibebat aquis:
Cuî glacies vice pontis erat. Suprema miſello
Fata tulit ſummo limfa profuſa lacu.
Quid mortem fugimus vitatis ignibus, undis,
Extra undas puero ſi nocuiſtis aquæ?

De Cypriani Scriptis.

VIvis adhuc: animumq́; probant ſincera modeſtum,
Scripta, vel amiſſis tot Cypriane libris.
Afer es, at Latiâ viciſti voce Latinos;
Pluraq́; Tu vitam per monumenta meres.
O qua peperciſſent ſanctis incendia libris!
Cùm caderes, famæ nil nocuêre Tuæ.

Meditatio de Chriſto recèns nato.

QUamta parant Superi! neq́; enim nova fœdera pangit
Nobiſcum Cœli Rex niſi fiat homo.
O quas non in ſpes hæc me cognatio mittit!
Allevat hic omnes. Fide miſella caro.
Nam niſi Tu fueris, cœli quæ diceris hæres,
In ſortem hanc lapides mittere certus erat.

Annus novus.

HOc puncto, mea mens, veterem transmiſimus annum:
Et novus à Iano principe ductus adeſt.
Dilecti Superis nec atroces vidimus ignes,
Nec rapidum infeſtæ flevimus agmen aquæ.
Sed nos læta Ceres ſub Palladis arbore pavit,
Nec nocuit noſtris artubus ulla lues.

Ipse ego contueor mea regna & parva meorum
Oscula natorum salva fovente Deo.
Quin non ista taces, Teq; hæc in vota resolvis;
Temporis ut compar tela recentis eat.

Magnifico, Nobilissimo nec non Consultissimo viro Domino Iohanni Preussio PræCos. Thoruniensi optimè merito.

DE Patriâ meruit, lethum qui transit & urnam.
Cætera ad extremos mors vocat una rogos.
Illud idem est, Preussi, *quod non tacuêre Poëtæ;*
De Te quod semper clara Thoruna canet.
Nam quod in hac parte est; à Te quòd diligor, & Te
Alter amo; famæ non satis inde caves.

Magnifico Nobilissimoq; Dom. Israëli Hoppio PræCos. Elbing.

CAutibus impegit vegetos aditura Britannos,
O Consul, nemorum filia, nostra ratis!
Hei nobis! quibus illa deos promisit amicos,
In Cauchos primum cùm tenuisset iter;
Gnossiaci deducta semel sub sidere Tauri,
Proh dolor æstates non habitura duas!
Heu nimiùm pelago confisa Notoq; secundo,
Ausa sub hybernos tendere vela dies!
Quid Neptune ferox Tibi peccavére Poëtæ,
Non mala Phœbéæ dedita corda lyræ?
Vt mea non habito generis discrimine nostri
Vncia cum reliquâ sorte periret aquis?
Debuerat toti Vates prodesse faselo,
Et mea funestum caussa movere fretum.

Sæpe

Sæpe levem propter colui Tua munera rivum:
Sæpe Cyprin, regnis quæ dea nata Tuis.
Et quæ Nimfarum? nam quæ se cumque negârit
Cantatam, è nimfis non erit illa maris.
Dixi & Te Nereu. Nam si quas Doris alebat,
Materies flammæ nostra fuêre Tuæ.
Æole, vah quoties vestras captavimus auras,
Cùm nemus in gelidum movimus urbe pedem?
Quos Ithaco dederas non prætermisimus utres,
Resque fuit versûs Orithyia mei.
Forsitan invisus sociorum erat unus & alter,
Quorum fœnoribus nautica pinus iit.
Fortean infami sulcârunt littora quæstu,
Arcadicique dolos eluit unda dei.
Nomen at immeriti poterat contendere Vatis,
Musaque securas poscere sacra vias.
Quorum tergoribus fluctus superavit Arion,
Ipsa suum damnet pontica turba ducem.
Ah surdas adeunt & nunc mea carmina mentes!
Atque isti vigilant in mea damna dii.
Parva (nec invideo) Consul Tua damna putabis,
Dum Nemesea meas ira flagellat opes.
Huc labor, huc sudor primæ cecidêre juventæ,
Et fragilis senii robora pontus habet.
Non queror hoc, lautum quod posset lædere Crœsum.
Pro modulo res est illa dolenda meo.
Respice tot Regum (miser esse negabor) amorem.
Quod tamen impensum est, hoc fuit unus amor.
Nec mea de patriis reparantur commoda fundis.
Ah patuit fraudi nuper avita domus!

Sed neq; me totos urat sors improba Soles:
Sed neq; morosæ tempora noctis eant.
Sufficit exiguum senibus. Iam poscimur Orco,
Iamq; Charon parvo lintre magister adest.
Dum calamum duco, melior me nuntius afflat,
Condere se Dano carbasa nostra freto.
Affer thura puer: nec vina liquentia desint,
Placatis animi vim renovare diis.
Sed veterem, Patriæ Præses, componimus annum,
Tu felix quovis mense recentis agas.

Ad amicum.

QVid mihi de Mystis videatur, amice, Vocandis
Iampridem exquiris; cùm se plebecula passim,
Tamquam divinæ prostent raptoribus aræ,
Obtrudat numquam rectè doctura quod odit,
Præceps in vitium & verorum ignara laborum.
Hic mihi sacrorum præses dignissimus audit,
Quem puerum novêre senes cùm fortè reprensus
Ora verecundo gereret suffusa pudore:
Qui se Tharsigenæ subjecit legibus æquus,
Nec mera nec luxum nec honorum insigne secutus
Fas ultra officii, cœcæq; libidinis osor
Adversus Fidei pugnavit idoneus hostes.
Cuî sua ceu præsens credit mysteria Christus.
Nec Regum aut populi Voces excludere verum est,
Quando istâ juvat ire viâ, sinceraq; punctum
Emeruit pietas. Alter sine Numine vanis
Mittitur auspiciis, qui se rogat ipse Vocari,
Instat hians, jam se violentus ovilibus infert.
Hic si sacra mihi dicatur hyæna, quid errem?
Lenginquo fabrûm redimuntur ab Orbe magistri,

Nec

Nec quæ est à Superis major sit cura salutis?
Huc rerum intendi nervus desiderat omnis.
Formosum quæsivit Apin Nilotica Memphis
Inventum tamdem: pecudes deposceret atras
Ausonia, in quovis Plutonia victima rure
Errabat. Populi est ultra fatale sepulcrum,
A justo si quid tenuit monitore profectum.

Ad Musas.

VOs mihi sufficitis jucunda silentia Musæ:
Vos mihi grex ingens estis & ampla domus.
Nescit delicias insana calumnia nostras.
Vivo mihi, vestri pars tamen una chori.
Vos luce assertas & nocte amplector amicas.
Vestra mihi æterno nectare labra madent.

Ad virum Excellent. Dom. Danielem Visnerum Archiatr. Reip. Elbing: amicum certiss.

SOlus gaudeo sub meo tigillo,
Aut solus doleo: meosq; plausûs
Ignorant alii, meosq; luctûs.
Audit sed thalami videtq; consors.
At si quid nimiùm boni obsecundet,
Aut si quid nimiùm mali fatiget;
Visnerus *mihi conscius bonorum est,*
Visnerus *mihi conscius malorum est.*
Illum participem meiq; plausûs
Non ingratum habui, meiq; luctûs.
Hæc Visnere *meo ferantur ævo:*
Hæc de me memorent mei nepotes,
Et nôrint pariter Tui nepotes.

Poëtæ.

Poetæ.

QVi ſibi rex ipſe eſt, neq; regum munera curat,
Non habet in terris ille Poëta parem.
Cuncta licent illi: ſuperos detrudit Olympo,
Subq; ſuos mittit vulgus inane pedes.
Si tamen & Reges habeat ſibi deinde faventes,
Idem par ſuperis eſſe Poëta poteſt.

Cyriaco Lentulo juveni doctiſſimo.

DA glandem populis antiquum Lentule victum:
Fac conculcatâ vite bibantur aquæ.
Sordeat, & venis lateat genitalibus aurum,
Nullaq; cædatur pinus itura mari.
Neſciat æquoreos Berytus proxima fucos,
Inq; ſuo pereat ſtirpe Sabæus odor
Fulgebit poſito pax non infida tumultu.
Hanc ego Te terris plusq; dediſſe rear.
Namq; ea qui præſtat, Saturnia regna reduxit.
O mihi deterior ſub Iove mundus agat!
Non ego ſecuros ultra contendere cervos,
Vltra ſepta mei paupera ruris, amem.
Eſt quod ab ungue meo Tibi pollicearis abunde.
Omnia proeclari Lentule Vatis habes.
Cætera ſunt animi nec vana nec alta ſecuti.
Crede mihi in noſtris, quod ſumus, eſſe libris.
Fingere ſi volui, ſi quæ licuêre Poëtis
Aſſerui; de Te Lentule fingo nihil.

Iter maritimum Ortelianum.

SVb Iove non æquo Boreas dum ſævit & Auſter;
Deſcenduntq; nives, miſtaq; grando ruit;

Navigat

Navigat Ortelio Visnerus *in æquore mecum,*
Deducta est segni cùm mea puppis Habo.
Iamq; altum ingressis Glessaria conditur omnis,
Et procul Hocconis stat nemorosus apex.
Protenus invecti Cimbrorum allabimur oris,
Cimbrorumq; exit prora citata freto.
Quæstores aberant: aut hæc portoria pensi,
Talia qui curant, non habuêre viri.
Despicit è malo Gothicas meus asseclа rupes:
Distant immenso rura Cayca salo.
Lævâ se Batavi, dextrâ formosa Calydon
Exhibet: & Celtæ, quod metuatur, habent.
Illorum scopulos emensi & littus Iberum
Flectimus ad terras, Bocche vetuste, Tuas.
Longè extra Calpen & rerum ignota Pelasgis:
Queis satis Ægéo nare Syroq; mari.
Et Canagæ & Zaræ prætervehor ostia fontis,
Iamq; patent oculis Angola regna meis.
Adspicit hæc etiam laxamq; Magascaris oram,
Rusculaq; & silvas noster amicus obit.
Extima si tardent nos promontoria, frustra
Exigo: namq; offert se mihi totus Arabs.
Cum Libyæ populis Erythræum linquimus æquor,
Memnoniosq; intrat nostra carina sinus.
Scrutati gemmas, quales habet illa venustas
Natio, Taprobanen imus & arva Iavæ.
Solve Philippinis: jam lecta myristica nux est,
Et vada Sinarum clausa fafelus adi.
Insula sufficiet dulces non una Bananas,
Tithoni vastus quà fuit antè thorus.

Trudimur in Chilen ventis Ophiranq́; secundis,
Inq́; suas aperit se Brasilæa vias.
Cannibalum terras fugiamus & antra Cyclopum.
Non sat navifragum est non habuisse mare.
Miserat has gentes illi ferus Hannibal Orbi,
Cùm premerent Latii Punica terga duces.
Constat Elisæos didicisse ea littora nautas,
Visaq́; Conscriptos edocuisse Patres.
Natalem occiduo de Sole redimus in agrum:
Vela tamen calidum fecimus ante focum.
Tam citò nec Magico superatur Bructerus hirco,
Nec Stygiâ petitur noxius Hecla rate.
Tam citò nec Circe subeuntem accepit Vlyssem,
Aut Ephyren junctis Colcha volavit hydris.
Segniùs effugit Cretæam Dædalus Idam,
Vicinos Numidæ Dardana turba Lares.
Invidiosa vale cum navibus Amphitrite.
Rhetórum è fundis, quo recreemur, adest.

De Potentissimi Poloniæ Sveciæq; Regis Vladislai IV. filiâ primogenitâ.

SEptima lux Iani populis sit fausta sub Arcto.
Nascitur hac Regi filia prima meo.
Vota dabo Superis animoq́; & fronte serenâ.
Absit, ut à mœstis cordibus omen eat.
Cæciliæ *proles* Mari-Ann-Isabella Renatæ
Vive: Tibi Reges dona precesq́; ferant.

Solis se Regibus studia sua consecrasse.

TRansvehor ætherium cœlo vicinus Olympum,
Et magni subeo limina nota Iovis.

Ille

Ille mihi Reges monumentaque singula Regum
Monstrat, ut illustri stantque patentque loco.
Ne mihi sit terras humilemque requirere Pindum:
Sed Iovis à nutu nostra Poësis eat.

In Ponticum.

SI verum est, in me Scazontes Ponticus edit.
Aptè. Nam claudo Ponticus ipse pede est.

In quemdam.

PEnè Tui nostris cecidit fiducia fibris,
Spebus & incertis more dolentis agor.
Non Phœbi tripodas Te primùm amplexus adivi.
Ah potui à solâ sumere fronte fidem!
Ipse Tibi hoc aufers insano percitus œstro,
Venturo genero quod struit ampla domus.

In Gelliam.

PErdidit & mores & famam Gellia. Mores
Gellia quid curet, quam juvat esse lupam?
Nuper ab exactis id questa est Gellia mœchis,
Cùm fugerent illi, se meruisse nihil.

Calligraphus.

REm miram! & totis diffundi sensibus artes!
Præcisa eximio est dextera Calligrapho.
Ille tamen calamos atramentumque poposcit.
Læva manus dextræ munere functa bene est.

Pastor ἄνοικος.

ÆDificat Christo nequicquam Pastor in illis,
Pastori misero qui nihil ædificant.

De Lydio.

CLodia fortè semel vidit peccata mariti,
Sed coràm solis fletibus ulta nefas.
De veniâ certus vetitum ejuravit amorem,
Lydius. At cautè, ne videatur, adit.

De Cypari puellâ ad Foconium.

NOn sedet in mensâ Cyparis taciturna, Foconi.
Visa mihi satis est ista diserta loqui.
In vultum retulit, quod præstet munia linguæ.
Adspice tot nictûs, oppositasq; manus.
Respice Mænalium, cui soli garrit amanti.
De mensâ surgent. Excutit illa sinum.

De Læliâ.

QVotidie sceleis incedit Lælia mundis,
Calceolo quâvis luce revincta novo.
Nec facit impensas, sed plus acquiritur illi.
Cariùs hæc mœchi tempore noctis emunt.
Fasciolas adimunt, nec deest sua fascia cruri.
Et redimunt omnes, cùm maculata toga est.

Clavis adulterina.

APta Marce seras & grandes adde catenas.
In gremio claves conde foveq; Tuo.
Hoc quoq; Marce cave, ne fiat adultera clavis.
Namq; Tuæ (ut fama est) furq; faberq; domi est.

Magnifico Nobilissimoq; Domino Christiano Treschenbergio Burggrabio Regio &c.

Condita

Condita jam bruma est Christiane *gravissime Consul,*
Auspiceq; à Iano cœtera transit hiems;
Cùm Tua dispersi temere Quadriga vagamur,
Nec côeunt uno quatuor axe rotæ.
Primus in hoc numero es, Consul: Zamelius *alter:*
Visnero Mylii *Svada venusta subit.*
Sic Tu dispensas, nosq; in Collegia mittis:
Atq; sub hoc titulo turba quadrata sumus.
Ad te promissum est: tres peccavêre Sodales.
Qui Tua defugimus limina, culpa trium est.
Ecce! sed intramus dum lux se Februa profert,
Lustralesq; pavet Roma vetusta dies.
Noxa gravis nostra est. Tu nos exsolvere Consul
Ritibus antiquis si cupis, adde merum.

Hiems egelida.

HIberni Soles Vrnæ tepuêre sub astro,
Peneq; devexo Pisce fatiscit hiems.
Frigora cœnosas nondum astrinxêre paludes:
Nec ruit in silvis tæda, gemuntq; rotæ.
Vesta caret cultu. Tibi sis mea silvula frugi
Quo mihi, quo pueris cœna coquatur, abest.
Quid Zephyri incumbunt & mollibus Africus alis?
Quis Borean obex clausit in arce suâ?
Æole, si nescis ventis dare jura, furentem
Illam animam à Finnis Lapponibusq; petam.

De Læto.

QVale decet teneras aversa Philippis habebat
Et caput & collum: pes quoq; talis erat.
Ille levi strictam fultus tibicine calcem
Esse tener visus parte patere sui est.

Quaq; levant tunicas, poterat non scaura videri:
Rectus & incessus, compositusq; fuit.
Omnia sincerè. Laudavit singula Lætus.
Vt faciem vidit, lusca Philippis erat.
Ille ingrata sibi cùm diceret oscula, virgo
Excipit: Ergò Tibi posteriora damus.

De Vestiâ.

VEstia dat cuivis non ignorante marito,
Qui tacet & patitur. Nam fovet ipse lupam.
Vestia novit idem: sic dissimulatur utrimq;,
Et neuter reus est indicio alterius.

Ad Gotolibiam sive Liviam filiam.

ADspicis hanc tenui pudibundam, Livia, panno?
Comtior hac olim nulla puella fuit.
Coccineas rigido tunicas prætexuit auro,
Et collo atq; humeris optima bissus erat.
Nôris quid primis comparcere prosit in annis.
Quòd nimia impensis tunc fuit, hinc misera est.

Ad Vrsulam.

URsula conde Tuas aut cautiùs inspice chartas,
Quas Tu Demophilo mittis, & ille Tibi.
Iam deprensa viro es: cui quàmvis curta papyrus,
Hæcq; Canopeis esset arata notis;
Hoc totum dixit. Quæ scribitis, omnia nugæ:
Vos quibus imbueret conscia de famulis.
Non sine perfidiâ tabulæ servantur amantum,
Aut colitur flammis litera jussa mori.
Cætera vix noceant, ea cautio sola legatur;
Quid vir ad hæc dicet? Non sine fraude meâ est.

Ad Æliam.

QVid Tibi tot vestes? quid prodigis Ælia numos?
Cras aliter cingent, Tuq; secuta pares.
Dissolves consuta recens nec missa missa sub usum:
Deq; hoc deq; illo segmine multa cadent.
Nec nova quadrabunt malè successura resectis.
Prostabit, sumtus bis periisse Tuos.

De Caudiâ.

SCitarum sex est natarum Caudia mater,
Quinq; nothas peperit, conjugis una satu est.
Palladis hæc oculis, Menelaidos ista Lacænæ:
Nocturna hæc Phœbe crinibus, illa Ceres.
Caudia propudium fuit, & cum Thaide censa est.
Gracchorum matrem præstat, ubi senuit.

Ad Meniam puellam.

EGregii patris & laudatæ filia matris,
Menia, nec mores ipsa perosa bonos,
Hæc de Te canimus, patri qui jungimur usu:
Te vacuas nullo tempore habere manus.
Functa piè sacris consveta ad pensa recurris:
Deq; Tuâ mater tarda levatur ope.

Venatio nocturna.

PRisca nimis ratio est, venari Solis in ortu.
In cervas pueri tempore noctis eunt.
Sæpe feram hanc agitant, cùm nox tamen atra fefellit,
Cassibus & ruptis transiit ursa minax.
Clauserat Almo puer notos indagine saltus,
Pro cervâ doluit se tenuisse melem.

Ad Ponticum.

CLaude Tuis foribus dilectam, Pontice, cervam:
Nec patere hanc noctu matris adire domum.
Venantum manus est, his qui regionibus errant.
Plurima sunt cervæ retia tensa Tuæ.
Ne jacula & laqueos nec apertas dispice fraudes.
Desuetas subeunt pallia nostra plagas.

In Violantam.

Nũ Violanta Tuo de nomine tolle Pelasgum.
Nil violenter ages: nam violata diu es.

Ad Fatoniam.

FOrma Tibi superest tunicis Fatonia ruptis.
Illud habes, Hector quo potuisset emi.
Sed muta veteres aliquo moderamine mores.
Crede mihi, jam Te sola modesta decent.
Queis odio fueras de Te dixêre miserti:
Posset adhuc lautè nubere, si saperet.

Ver Poëtarum æternum.

VErna mihi ridet tempestas omnibus horis,
Ipsaq; me Veris signa notæq; juvant.
Sub nivibus meditor subeuntem Veris honorem,
Iucundumq; fovent intima sensa jubar.
Nos superûm sanguis, & stirps excelsa Poëtæ:
Quos numquam Verni non alit aura Iovis.

Lemu-

Lemures.

ÆDe sacrâ & mœstis Boreali in parte sepulcris
Quæ via me dirimit, non satis ampla via est.
Despicio, quoties componunt funera vivi,
Cùm noctu pueris umbra timetur avi.
Audiat hæc, quisquis Lemures me cernere credit:
Sunt ultra manes omnia vana meos.

In Mæviam.

MÆvia nos odit, quoniam læsisse videmur.
Mævia quid fingam? carmine læsa meo es.
Dele stulta Tuos in molli Almone furores.
Res sunt arbitrii nostra cavilla Tui.
Nam quod tonsorum collegia tota loquuntur;
Hoc, cui bilis inest, nemo Poëta tacet.

De Lycoride puellâ.

ADspice. Formosas anteit formosa Lycoris.
Has solo tunicas à genitore petit.
Manè subit templum: sed tunc vestitur honestè.
Vix aliquid mutat, si nova nupta roget.
Seq; ubi composuit vultum demissa Lycoris;
Quod placeat justis, una Lycoris habet.

LIBER XII.

Ad Sereniſſimum Potentiſſimumq; Poloniæ Sveciæq; Regem Vladislaum IV.

RESpice Rex noſtram doctus miſereſcere ſortem.
In ſilvis Vatem me juvat eſſe Tuum.
At quorſum egrediar? quid ſepta urbemq; relinquam?
Ante fores ſubiit horrida ſilva meas.
Vera loquor: ne Tu Vatem Rex argue ficti.
Nam ſcis quid noſtro videris ipſe foro.
Cultus erat tectis, infrà rude gramen alebant:
Quale fatigatos ſollicitârit equos.
Senſi illos ſtrictis equitum pugnaſſe lupatis,
Et memini ſummos ingemuiſſe duces.
Sed dices forſan, quàmvis hæc omnia nôris,
Pluſq; ea Te moveant: Tunc ubi ſilva fuit?
Diſceſſu, Rex alme, Tuo ſenteſcere cœpit;
Hinc ſalicem, hinc tiliam protulit urbis humus.
Ad quartum lapidem procul ô arbuſta faceſſant,
Req; auctâ populi defluat herba fori!
Falcibus haut opus eſt, nec lignatoribus ullis:
Omnis in externo ſtat pede noſtra ſalus.
Commeet ille frequens; obeat fora, flumina, pontes;
Gramina marceſcent, & ſaliceta cadent.

Illuſtr. Dn. Gregorio Boraſto Canon. Varmienſi, Secretario Regio &c.

MAgne Boraſte *fave: nec noſtra ſilentia damna.*
Nam veniam Vati res peperêre Tuæ.

Quid

Quid facerem veniens ad Te pro Rege locutum?
Dixero de studiis carminibusq́; meis.
Iam scio, subjicies hæc Te tractare. quid ultra?
Quod quia nescirem, lingua molesta forem.

Ad silvas iterum frundescentes.

O Mihi frundentes immenso munere silvæ,
Hanc faciem vobis gratulor, hocq́; decus.
Totus ab hoc vultu me Iupiter aureus afflat:
Iamq́; suis levior murmurat unda vadis.
Tu mihi cum magno regna patre pulcher Apollo.
Hoc præstò Charites sunt Iove & alma Venus.

Ad Prænobilem Dn. Israëlem Hoppium &c.

FLant Zephyri, liquescit hiems & flumina manant
Strata diu nivium mole pigroq́; gelu.
Hoppiade Consul, quem totum nemo Poëta,
Ipse tamen potui solus habere meum;
Ecce Tuos auris intro svadentibus hortos,
Vt mihi dent horti Consule digna suo.

Musæ Borussiacæ.

RVscula vernabant, & erat sine nubibus æther;
More meo silvas & loca sola peto.
Vidimus Aonias in molli cespite nimfas.
Mirabar Grajis tam procul esse jugis.
Ergò quid in patriis venatus es hactenus agris?
Dixit; & irrisit virgo novena senem.

Iter Varmium.

VIsere Varmiacæ vult uxor templa Cathedræ.
Viderat illa quidem, sed semel atq́; procul.

At duce quo nobis sacrorum arcana patebunt?
Nempe Tuus stadiis mille Borastus abest.
Sic ait. Et nescis Montanos *vivere? reddo:*
Scis neq; Vastovios *me tacuisse meos.*
Mox ea subridens: Ergòne remotior axis
Hos Tibi, nec quemquam Varmias ora dedit?
Schambogium, *dico; poteras hoc discere nomen.*
Tum mea: Et extremum non meruisse locum.

Helicon plumeus.

DEcipimur Vates. Non sunt ea Numina nobis,
Qualia Mæonides Minciadesq; putant.
Est meus in plumis Helicon: cui mater Amorum
Præsidet, & missâ Cypride docta quies.
Tithoni conjux & Nox dicrimine nullo est.
Hæc mihi Terpsichore est, altera Calliope.

Nobilissimo Domino Israeli Hoppio.

HOrtorum profers, Hoppi, *pomoeria. Nunc est*
Silvarum Alcinoi plus Tibi plusq; mihi.
Et meus est nemorum secessus & umbra Tuorum:
Tuq; heic ingenii me facis esse mei.
Donec erunt silvæ, quas Tu plantaveris Hoppi,
His mea me solitum condere rumor erit.

Nuptiis Geneross. maximèq; Strenui Domini Hugonis Marcelli Asseclæ sive Asclæ de Sorio &c.

PRonuba Iuno veni: nec Te Iovis alma morentur
Oscula: nec Samos aut Tyriæ Cathaginis aræ
Advertant hodie. Succede Penatibus Asclæ,
Quà thalamos parat ille sibi Mariæq; Sabinæ.

Nec

Nec se jam doctis Tritonia Pallas Athenis
Occupet: ac præsens ornet connubia cultu,
Quo patre nata Iove est. Nam sic meruêre parentes,
Et genus ex ipsis. Sit ponè sed arma secundum
Tela deæ studium. Mavortia signa secutus
Ille patris pulsum Patriæ de finibus hostem
Contudit, & fixis promovit castra tropæis.
Cumque ea sub Domino rigidisque securibus egit,
Ipse suas deinceps est jussus habere secures,
Perque tribunitias spectari major habenas.
Tanclias *interea nondum pendentis Arachnæ*
Vrsit opus: laudantque magis, quod ducere filum
Tanclias *exorsa est. Et non immunis oliva*
Palladis hoc donum subeat pro deside myrto.
Ipse faces Daduchus Amor sine matre vocatus
Luceat. Est Venerum satis unâ in prole Iacobi
Tanclis, *& integritas quà conscia vota duorum*
Verior. At quid non pubes generosa professa est
In paribus seu dote suâ seu sorte parentum?
Dignus erat Mavors epulis & nectare nostro:
Sacra sed austeros spernunt hymeneia mores.
Et nimiùm fremit ille ferox, oculisque requirit
Quæsitos furto non heic habiturus amores.
Lemnon & exiguam Liparen Siculasque cavernas
Negligat, & claudi prætervolet antra mariti;
Intrabit Paphias quamprimùm viderit arces.
Sed Te Iuno potens, Te casta Minerva, puerque
Aliger elicimus. Sint cum Iove cætera cœlo
Numina. Vos Sponsis hoc fortunate novellis
Conjugium: & vestro decurrant omnia puncto.
Nec cùm jam dici poterit novus Ascla *maritus,*

Et nova virgineum deponet nupta pudorem;
Egregios juvenes, hinc si Tua respicis arma,
Inde coli studium, Tu dedignabere Pallas.
Semper uterq; Tuus castâ sunt mente revincti:
Tanclias *ad telas, ad tela recurret* Asclas.
His vos Numinibus pollucta per atria matres
Collectæ sponsis genialem sternite lectum.
Præ thalami foribus, cùm jam non Martia tollet
Signa novus miles, cùm voce videbitur assâ
Acriùs impelli, sua sint præsagia dictis,
Auditæq; aliquid crepet inter murmura linguæ.
O Ascla, *quem tot certant ornare Poëtæ*
Pro Phœbo; Tua festa idem celebrare parabat
Quartus in hac turbâ, nisi Coeli ea cura fuisset:
Iam conviva patris lyricenq; ingentia templa
Divorum lætis de Te concentibus implet.
Ipse mihi videor resonis attendere nervis,
Et voces audire deûm: Felicius ullum
Par nec venturum, nec se voluisse videri.
Quid Tibi mitis Arar, Rhodani quà conditur undis,
Aut Rhodanus præceps, Arari quà immensior hausto
Volvitur, æquorei paria inter vota tyranni
Applaudat, coeliq; velit consensus aquarumq;,
Ælveades docuêre suo sub gurgite Nimfæ.
Nam Tua cùm vellem connubia dicere ripæ
Assiduus, mihi prima chori Pogiolpis ab alto
Annuit, & stratum monstravit in omina littus.

Obitus Mari-Ann-Isabellæ Principis Poloniæ.

DIscite quid doleat gelidæ Rex sceptriger Arcti.
Denata est illi filia nata recèns.

Prima

Prima repentinum geminârunt gaudia luctum.
Sed Te quo soler carmine, Magne Parens?
Tu natæ regnum dederis: minus omne quod heic est.
At regnum est, ô Rex, amplius hoc, quod habet.

In Sextiam.

SExtia non visa est vivo formosa marito,
Et rarò solita est hoc superante coli.
Postquam decessit, nihil est succinctius illâ,
Iamq; comam curat munditiemq; togæ.
Iamq; hæret speculo triplicis cum pixide fuci,
Et coràm assvescit verba rotunda loqui.

Spectabili Amplissimo Consultissimoq; viro Domino Sigismundo Megerisio Reip. Elbingensis Cos. amico integerr. cùm filiam primogenitam elocaret.

PRovehor in silvas nemorum renovante vigorem
Ingeniiq; mei Phœbo, qui carminis autor:
Qui cùm sincerum retulit mortalibus annum,
Nostra quoq; omnino non imperfecta reliquit,
Hac facie rerum missurus in ardua Vates.
Irrigui fontes primâ Zephyritide moti
Per pavidos saltus vitreis decurrite limfis,
Ac gracili attentos feriamur murmure sensûs:
Seu vox illa deæ est vestris habitantis in undis,
Hocq; sibi placidos spondentis ab æthere Soles,
Oblatis potemur aquis. Heic ungula fonsq;
Aonius, quàcumq; feror sub Numine tamto.
Sed rerum mihi summa decus silvestre virensq;
Arbutus, & Tu qui vernâ de frunde *vocaris,*
Sigismunde *parens nimfæ, cui festa parantur,*

 Et

Et quæ nubentes abeunt ad sacra puellæ.
Tu mihi jam ex illo, quo nos arbusta fovebant,
Nomine & hoc meritisq́; novis jucundior omni
Delicio nemorum. *Tibi* justæ *stirpis honorem*
Gratulor, & dulces fæcundi palmitis uvas.
Nulla magis me silva juvat, quàm quâ licet infra
Populeas recubare comas, juvenumq́; furores
Auscultare procul fortunatumq́; laborem:
Cùm veniunt blandi, nec mustea germina fraudem
Oderunt, morsumq́; volunt sentire racemi.
Qualis sustinuit formosa Cytheris Adonin,
Lacteaq́; exseruit maternis ubera myrtis.
Qualis & in Xanthi ripâ sub collibus Idæ
Dardanium Anchisen geniales misit in hortos;
Suppositâq́; manu Tros Naica munera legit.
Tela faretrati nocuêre Cupidinis ipsi,
Quæ puerum enixa est. Vidit sua vulnera Cypris,
Nec tamen expromtè pueriles depulit ausûs:
Et puer admotis accendit prælia flammis.
Ille colit silvas; essetq́; remißior arcus,
Frundibus incauti si non tegerentur amantes.
Vixerit hos extra Phœnißa miserrima casûs:
Inachis hinc bos est, rigidamq́; Lycaonis ursam
Induit: & Daphnen mutârunt improba Tempe.
Aut quis Erichtonio pereuntem tramite nescit
Procrin? in Ismariis plusquàm violata salebris
Discrimen nemorum docuit Philomela silentum.
Sed magis hæc me silva juvat, quâ vidimus inter
Pampineas juvenem succedere vitibus umbras:
Qui solus potuit maturum avellere botrum
De Megerisiacâ *pendentem augustiùs ulmo.*

Egerit

Egerit hoc robustus *Amor; tamen ille procorum*
Optimus est visus, tamen assensére parentes,
Ut Langagelios *fœcundet* Justa *penates,*
Seq́; jugo stabili diffundat alumna dearum.
Atq́; ego tunc stratus revirente sub ilice cernam,
Purpureum quævis imitetur ut uva colorem,
Masculus ut tepidis surgat Narcissus ab antris:
Posthabeam Æmoniæ valles totamq́; sub Ossâ
Planitiem, atq́; unà Phæacum agrestia regna.
Sed neq́; prætulerim Massylæ Chloridos oram.
Quà recubem, tumulos humilis verbena coronet,
Dum tuear gravidæ subeuntia lilia viti.
Non ego vos corylos spernam tenuesq́; myricas:
Nec mihi flagrantem tam stridula fraxinus æstum
Defendet seu firma larix, quàm vile salictum,
Aut pridem innocuo vitex asserta pudori;
Me sine si felix extendat vinitor antes,
Ipse levem excipiam laudati cespitis auram.
Talia sese oculis vicini à limine ruris
Objiciant, tum segnem animum divina venustas
Altiùs advertet. Donec mihi carminis usus;
Quæ colui, nemorum non obliviscar amorem.
O frundes florumq́; jubar, vitesq́; novellæ,
Et læti propago soli! quo dulcis amici
Exuat ærumnosam hiemem ventura senectus.
Vos par sponsorum placitis requiescite silvis,
Dummodo fugeritis caput inclinare cupressis,
Aut gelidæ buxo. Terrent discrimine rerum,
Feraliq́; notâ: gerit hanc Cynareia proles.
Nox ruit, Ismariiq́; oriuntur sidera plaustri.

Reve-

Reverendo ac Doctissimo viro Dn. Nicolao Bachmanno Ecclesiæ in Pineto Elbingensium Ministro.

VRbibus eximur postquam Venus omnis in agro est:
Mittitur ad fontes prataq; nota pecus.
Ipse suas animat brutorum vocibus auras
Iupiter, & magni provocat Orbis opes.
Ad Tua templa feror, Bachmanne, nemusq; beatum;
A cœlo hoc animum sumere & ore Tuo.

De Bavio ad amicum.

QVæris de Bavio, qui cum bona Marcia nupta est,
Quid gerat ille domi, quid gerat ille foris.
Mane bibit summo, potat cùm prandia fiunt,
Impletur toto vespere, nocte vomit.
Ista domi Bavius. Quoties in publica prodit,
Omnibus è populo detrahit ipse miser.

Ad Parilium.

AVdio Te nostræ, Parili, succrescere famæ,
Ireq; in ingenii remq; decusq; mei.
Non ego sum Parili, cujus de puppe solutâ
Accipias navi robora firma Tuæ.
Dum tamen hos temere spernis, quos ipse sequebar;
Me sequere, ingenio si potes esse meo.

De Læliâ.

POrrigit & patitur soleas sibi Lælia demi,
Id mœchi immenso pignus amoris habent.
Et quos præsecuit, dantur cum crinibus ungues;
Inq; suum dominæ stercora nomen eunt.
Chymicus in nostrâ se venditat urbe Philippus,
De cœno tantum non facit ille suo.

Fontes

Ipsis, in hoc in illo uti defixerant
Aciem, sibi emeret liberis carissimis
Vel hoc vel illud mercis; ex me sciscitat,
Quid præstinari censeam. Dixi: Columnam.

Ad Gotofredum filium.

Ponere Te curtos jubeo Gotofrede *Poëtas:*
In quorum numero pars quotacumque legor.
Arma virûm *& motas Tyrrheni principis iras*
Præcipe, Pompejos Scipiadasque tere.
Plenior est moles subeunda recentibus annis.
Ex illo brevitas robore nostra fluit.

Ad eumdem.

Versibus aspirat nostris Gotofrede *deorum*
Tota manus. Phœbum Pieridasque colo.
Vota Iovi facio, Charitas cum Cypride sector:
Najades & Chloris me Dryadesque juvant.
Sit procul à nobis discors imitatio Vatum,
Cùm malè non aptâ parte cohæret opus.
Sed Tu dum memor est animi vis, instrue mentem
Vatibus è variis, & Tibi coge penu.
Dædalus impariles commiserat ordine pennas,
Nec nisi dispositis trans mare fecit iter.

In Marcum.

Marce quid egisti? Tibi Cypria nupsit & Hebe.
In thalamum missa est pulcra juvenca Tuum.
Tuta satis non est, & jam nunc fama laborat.
Et quid habes, quod non oderit uxor anus?

O senium! triplici cùi stringitur hernia nodo,
Et simæ nares, & malè guttur olet.

Ad pusiones.

QVid fingitis pupi salaces? Aliter, ac
Præceperam, est. In arborum vos ramulos
Librastis. Et de Aprotianis est nihil
Cerasis. Fatentur & manus ianthino
Hoc imbre, & oscula orbitâ hac violaceâ,
Vos gemina salaputia fuisse in Actûs.
Temerarium hoc ne corrigat severior
Pater; genua prendite, adeste supplices.

In Hyalen.

CÙm rides Hyale, Tibi dens albissimus extat:
Nec denti facies invidiosa suo est.
Quodq; probem in collo est: casti sunt cætera cinctûs,
Et teretes lumbi, lacteoliq; pedes.
Illud abest, quod nec Pelusia Thais habebat,
Deq; Helenâ Vates tradere nemo potest.

De Læliâ.

UT caussam dixit deprenso Lælia mæcho;
Neglexit proprium vir meus, inquit, agrum.
Ergò colunt alii per quos sentescere nescit,
Sed generosa deûm munera fundus alit.
Quarta mihi proles est à cultoribus illis:
Quam justæ subolis vir tamen instar amat.
In desveta senem quid mittitis arma maritum?
Qui patitur, quòd non severat, esse suum?

Non ita convenit, nec vos cavistis amici,
Maturus segeti ne foderetur ager.

In monumentum Cæliæ.

CÆlia tot stupris totam famosa per urbem
Audet quotidie, quod semel ausa Lyris.
Passa Lyris gladium est tumulata sub aggere furum.
Quo olim vult condi Cœlia, marmoreum est.

Ad Sextum.

NEscis Sexte pater quamtùm Tibi filia prosit.
Hoc scis, quòd sumtu nil emat illa Tuo:
Et tamen incedat Tyrios induta colores.
Scis & quòd Tecum prandeat ampla manus:
Quælibet impensis veniat tamen offa procorum.
Quamtùm, Sexte, Tibi filia prosit, habes.

In Iustinam.

FVndit de vasis vinum Iustina figlinis:
Iamq; diu est, inquit, cùm sine fece fuit.
Si Iustina diu est, quòd vir de fece relevit;
Da vappam famulo, sed mihi prome cado.

In Paullum.

OMnibus Harpocraten pinxisti Paulle, diætis,
Harpocratasq; Tuos angulus omnis habet.
Vt taceant illi, nec quæ profundimus edant;
At Tu Paulle tamen nulla tacenda taces.

Nulla se Tetrasticha nisi Vladislao IV. Sereniss. ac Potentiss. Poloniæ Regi scripsisse.

ARguor in Pallum scripsisse tetrasticha quædam,
Illa sed in quemquam nec vos clarissima cœli Side-

Sidera vidiſtis, nec nox abſcondidit atra.
Vni Sarmatiæ ſacrare Tetraſticha Regi
Contentus victorem animum jam vindicis iræ,
Iam populi armorum cauſſas & bella ſecuti
Iuſto inviſa Deo, ſervatâ Druſide dixi.
Tum quantùm ingenui diſtent à plebe Poëtæ,
Et quamtùm ingenuos interſit habere Poëtas,
A Patriæ Patris hoc innotuit indice vultu.
Hoc mihi venturos non ullo fine dierum
Deſpondet, quos nec civis meus invidet, annos.

De Læliâ.

ADſtitit in ſomnis mihi Lælia corpore nudo,
Qualis in Idæis Cypria viſa jugis:
Iuncta vel Anchiſæ jacuit Simoëntis ad undam.
Inferius Tyrii cenſeo Regis opus.
Illud ebur, candorq; ebori puriſſimus illi eſt,
Hæc aptè Paphias eſt imitata roſas.
Quid tibi cum vetulo, noſtris inimica libellis,
Indice cûi nullo quaſſa feneſtra Tua eſt?
Cûi numquam lento patuerunt cardine valvæ?
Quære Tuum, dixi, vana puella Parin.
Lælia ſed: Totis ſi ſum Tibi Cypria membris,
Cultaq; verſiculis eſt ea diva Tuis;
Hoc precor hoc unum, ſi quid peccavero, quod Tu
Eſſe putes dignum Cypride, ne laceres.

Excell. Dom. Danieli Viſnero.

QVomodo domum ad meos Penates venerim
E proximis Electridum, Iove turbido
Mariq;, ſaltuum lutoſis ſemitis,
Viſnere quæris? Partim ab helciario

Le-

Lapsante tractus, sæpe succollantium
Gestatus humeris, ipse fessus itinerum,
Iovem increpans & dormientem Apollinem.

De Læliâ.

L*Ælia jam vidua est; quotiesq; penatibus exit*
Vt mœrens pullo syrmate verrit humum.
At tunica interior cocco resplendet & auro.
Exteriorem umbris, hanc gerit illa procis.

De eâdem.

F*Racta meis tandem maledictis Lælia dixit:*
Sentiet infestam, quam vocat, iste canem.
Experiar quid sive canis seu fœmina possim.
In verbo risum vix tenuisse ferunt.
Atq; ait, irascar Vati nec ficta locuto?
Intra nequitias sunt ea probra meas.

In Marculum.

T*Vrpe mihi non est, quod erat nec turpe Maroni,*
Quod nec in Augusto Cæsare turpe fuit.
Consul ego & Vates vocor, utriusq; sed impar.
Hic rerum dominus, Vatum erat ille Deus.
Turpe, fuisse aliquid sed jam non ampliùs esse.
Hoc de Te verum Marcule, turpe Tibi est.

Ad Epigramma Martialis de Iscâ.

D*Iscrimen tamen inter hanc & illam:*
Quòd vivam dominus foveret Iscam,
Atq; hæc cum domino cubaret una;
Quòd pictam dominus videret Iscam;
Vnum hoc, prætereaq; haberet illud;
Quòd quæ picta foret, maneret Isca,
Cùm quæ viva foret, periret Isca.

In

In insignia navis cujusdam.

QVid facit Arctophilax, ô nautæ, in fronte carinæ?
Debuit hoc Stygius portitor esse loco.
Illa subit primos etiam nova fabrica portûs:
At pro merce probâ nobile funus habet.
Hoc ubi curatum est, ferales solvite nautæ:
Tendite quà lembo navigat ille senex.
Navi opus est, postquam tot millia cæsa virorum
Mittit ad Orcinas Mars truculentus aquas.
Ite cite vos dira cohors asserta Charonti:
Incidat in veli Corus utrumque pedem.

De Cœliâ.

COelia cùm possit cuivis formosa videri,
Cùm mœchis sit bis quinque venusta satis;
Sæpe tamen lumen, quali nitidissima Phœbe est,
Sæpe optat faciem, quâ Menelais erat.
Cœlia, nec cœlum quicquam desideret in Te,
Si dotes esses nacta pares animi.

De eâdem.

COelia de nostris stupido conquesta marito
Versibus hoc dixit: me Tibi solus habes.
Esto quòd integras malim consumere noctes
Assidua huic, illi; sum Tua sola tamen.
Nempe, inquit miser ille, ex me si concipis uno.
Cœlia quid faceret? tunc quoque verba dabat.

In Picum.

ESse bonus nolo, quales sunt judice Pico.
Nam non ex toto, quod probat, asse bonum est.
Ore quidem rectum claroque sub æthere præfert.
At ne ipsum nôris, impedit orta dies.

A foribus Picum noctu prohibete, mariti.
Sæpe quod in noctem distulit ille, malum est.

Imperium nasutæ.

MArcus habet curtum, sed longum Iulia nasum.
In nasum regnat longior ergò brevem.

In Ollum.

POne capillitium septem Vallensibus emtum:
Olle comas alii vende, redemtor adest.
Calvus es. Æneades calvam quoq; Cæsar habebat:
At tamti hanc partem noluit ille tegi.
Laureolam sumsit: potuit, quia vicerat hostes.
Tu quia versificas, non minùs Olle potes.

Magnifico & Prænobili Domino Israëli Hoppio ProCos. Elbing. nec non sextùm Burggrabio Regio gratulatur.

LOci potestas Regia in Vrbibus
Gentis Borussæ principibus tribus
Collata Patriæ Optimatum
Huic aliiq; sub auspicatas
Divæ Calendas, quæ Cypron obtinet,
Hoc Curiali limine mensium,
Vt ampliter censu opidorum
Eximit Ælvæonas minorum:
Ita esse qui rem dignè obeant, Dei
Nutu à potenti est. Hinc Tuus Hoppius
Camœna, sextùm *postulatur*
Burggrabius *rigidasq; nomen*

Inter

Inter ſecures ſontibus aſperum.
Quales feruntur Poſthumii ſenes
In Conſulum faſtis repoſti,
Sive Tribunitiis refulgens
Sempronianum culmen honoribus
Sors integrorum prima Quiritium.
Abunde pulcrum eſt promereri
Et decora & titulos ab ore
Summi Dynaſtæ: deinde opus arduum,
Frenare totis finibus improbos:
Sed deniq́ optimum, quietos
Civibus innocuis Penates
Præſtare, cùm Tu mille periculis
Serves coortis pectus aheneum.
Ille hujus æquoris Charybdin,
Et ſcopulos tenet allatrantes,
Catus nec Afris tendere Syrtibus,
Nec commoveri voce Acheloidum;
Non ſiderum, quibus per altum
Ire juvat, nec Apeliotæ
Incertus. O quæ nos dea reſpicis
Thalia, lætum barbiton increpa
Et incolis & Conſulari
Hoppiadæ *bene comprecata.*

Ad famam.

Fama vola, poſtquam de me jam conſtitit Orbi,
Clamoſo Vatem poſſe vacare foro;
Publica cùm gereret ſilvas coluiſſe duceſq́,
Ingenium in curto non habuiſſe penu.

FINIS,


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523